

**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordininariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Ad part. 3. Quæst. 12. & 13. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## Ad part. 3. Quæst. 12. &amp; 13. Additio.

**N**on suffragari præscriptionem contra exemptos nisi data scientia & patientia Papæ, cui exempti sunt immediatè subjecti, dictum fuit coram Seraphino decisione 1025. numer. vigesimotertio. imo etiam requiri scientiam ac patientiam ipsorum exemptorum ad hoc ut ipsis præjudicetur, dictum fuit coram Mantica decisione 40. numer. 9. & coram Bichio decisione 100. numer. 7. & in recent. decis. 274. num. 9. par. 17.

Quo vero ad non usum privilegii tenendæ sunt tres declarationes. Prima: privilegium non amittitur per non usum, nisi hic simul implicet contrarium usum. Gabriell. consil. 78. numer. decimo & seqq. libro secundo. Menoch. consil. 201. numer. sexagesimo sexto & seqq. Rota coram Bichio decis. 57. nu. 10. & 12. & in recent. decis. 285. num. 15. part. 15.

Secunda. Non usus etiam habens implicitum contrarium usum non sufficit ad tollendum privilegium, quando actus contrarii habent causam & equivocam; unde post Concilium Tridentinum actus visitationum ab Episcopo factarum non ledunt exemptionem, cum possint referri ad jus delegatum ex eodem Concilio. Rota decis. 4. 47. num. 4. par. 1. recent. & decis. 313. num. 14. par. 9.

Tertia. Scante hodie communicatione privilegiorum inter Regulares privilegia concessa Ordini non tolluntur etiam per non usum longi temporis, quia sufficit usus unius Religionis. Rota decis. 285. numer. 17. part. 15. & multò magis sufficiet usus unius Monasterii ejusdem Religionis ut in decis. 704. numer. 10. & seqq. coram Buxario.



Ccc

DECI-